

lera Damasci, Gazae, Tyri et Idumeae, et filiorum Ammon
 et Moab, et in septimo octavoque gradu Judaeae et Israël? Hic loquitur ad vaccas pingues, quae sunt in monte Samariae, et ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit factorem locustae, et stantem Dominum super murum litum vel adamantinum, et uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, et famem in terram: non famem panis, nec sitim aquae; sed audiendi verbum Dei. Abdias, qui interpretatur servus Dei, pernotat contra Edom, sanguineum, terrenumque hominem. Fratris quoque Jacob semper aemulum, hasta percutit spirituali. Jonas columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini praefigurans, mundum ad poenitentiam revocat, et sub nomine Ninive salutem gentibus nuntiat. Michaeas de Morasthi, cohaeres Christi, vastationem annuntiat filiae latronis et obsidionem ponit contra eam, quia maxillam percutserit judicis Israël. Nahum consolator orbis, increpat civitatem sanguinum, et post ever-sionem illius loquitur: Ecce et super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem. Habacuk luctator fortis et rigidus, stat super custodiam suam, et figit gradum super munitio-nem: ut Christum in cruce contempletur et dicat: Operuit coelos gloria ejus, et laudis ejus plena est terra. Splendor ejus, ut lux erit, corona in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. Sophonias, speculator et arcanorum Domini cognitor, audit clamorem a porta piscium, et ejulatum a secunda et contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilae, quia conticuit omnis populus Chanaan; disperierunt universi, qui involuti erant argento. Aggaeus festivus et laetus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret, destructum templum aedificat, Dominumque patrem inducit loquentem: adhuc unum modicum, et ego commo-vebo coelum, et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus. Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus